



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helkestadi[i], 1671

Cap. XV. De Clemente Romano, Simone Hierosolymitanorum Episcopo, &
specialiter de Evangelista & ejus Evangelio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

insulam *Pontiam* deportari jubet, & beatum *Ioannem* Evangelistam relegat exilio, ubi & *Apocalypsin* scripsit, missus prius in ferventis olei dolium, sed illæsus. Hic familiam *David* regis perire jubet, & propinquos Christi, secundum carnem: ut interficiat, ne quis superesset Judæorum ex semine regali. Quibus oblatis, & de regno Christi respondentibus; quia non est de hoc mundo; liberos abire jubet, & contemnit. *Domitianus* regnat xv. annis.

C A P. XIV.

*De morte Domitiani & revocatione**Ioannis Evangelista.*

Itaque *Domitianus* potitur imperio xv. annis. Postea ex Senatusconsulto omnes, qui jussu ejus exulabant, revocantur, cum quibus & beatus *Ioannes* rediit: *Nerva* vix annum regnat.

C A P. XV.

De Clemente Romano, Simone Hierosolymitanorum Episcopo, & specialiter de Evangelista & ejus Evangelio.

Nerva quoque anno plus minusve defuncto, *Trajanus* obtinet imperium, cujus primo principatus anno *Abilius Alexandrinus*, post xiii. Episcopatus annos, diem obiit, *Cerdone* succedente tertio in sacerdotium. *Clemens* tunc temporis post *Petrum* adhuc Romæ pontificatum tenebat. Sed & apud Antiochiam post *Petrum Evodius* fuerat, & secundus *Ignatius*. Hierosolymis, post *Jacobum fratrem Domini*, adhuc præerat

Simon,

Simon, Domini consobrinus, *Irenæus*. Interea adhuc superstes beatus *Iohannes* Evangelista præest ecclesiis Asiæ, residens apud *Ephesum*, & permanet vivens usque ad tempora Trajani, ædificans ibi Ecclesias, quas *Paulus* primo ibi fundaverat. Hic *Papianus* & *Polycarpus* auditores & condiscipulos habet; qui etiam libros faciens & Epistolas, instituit eruditque plurimos. Quippe in ultimis vitæ temporibus scribit *Evangelium*, compulsus ab Asiæ Episcopis, propter hæreticos, qui, eo exulante, irruerant in Ecclesias, cum variis ac perversis dogmatibus. Hac ergo occasione de nativitate Christi conscribit, pauca de temporalibus ejus gestis edisserens, tantum à cæteris Evangelistis prosequens omissa. Nam alii quidem tres, facta Domini prosequuntur, à carcere *Ioannis Baptistæ*. Hic vero maxime ea, quæ primo Dominus per prædicationis tempus gessit, ante *Ioannis* incarcerationem. Multa vero de Trinitatis & unitatis mysterio profundissime instillat, ut diximus, adversum hæreticos, quorum errores tunc pullulaverant.

C A P. XVI.

De Menandro Mago, hæretico.

Sub eodem namque tempore *Menander* quidam, *Simonis Magi* Samaritani discipulus, & ipse Samarites & Magus, blasphemus errore maculat *Antiochiam*, irridens immortalitatem animæ & resurrectionem mortuorum, semetipsum Salvatorem hominum esse asserens,